



# M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## *Melissa nova advolavit!*

- ... *De institutione scholari et de diversitate linguarum volis proponuntur cogitationes* ☐ p. 2  
... *Ludi Olympii nuper acti sunt. Quid de eis?* ☐ p. 4  
... *Nunc exercitatio scientifica. Scitisne, quid sit chirurgia orthognathica?* ☐ p. 5

... *Iterum interrete! His temporibus est in omnium sermone.*  
☐ p. 7

... *Sidronii Hosschii praeterito fasciculo memoratae sunt epistulae, hodie carmina.* ☐ p. 8

... *Magistri, ecce de institutis Romanis explicatio quae discipulis vestris erit fructifera.* ☐ p. 10

... *Quae studia proponat Augustinianum Romanum ostenditur* ☐ p. 13

... *Discipuli fabulam Ovidianam rescribunt* ☐ p. 14

... *Denique varii nuntii* ☐ p. 15



Seminarium Helencinense ad finem feliciter pervenit. Fuit frequens: circiter 30 participes interfuerunt. Plerisque placuit maiestas aedium amoenitasque viridarii. Sed, ut saepe fit, pernoctationis commoditas impar erat frontis sumptuositat. Ut patet ex hac imagine, cena valedictoria fuit musica et iucundissima; sub divo acta est apud sodalem nostrum Stephanum Feye, qui nos benignissime invitaverat.

# DE REI INSTITUTORIAE

## NOVISSIMIS MUTATIONIBUS

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

*Timeo Danaos et dona ferentes (Verg. En. II 49)*

**A**nno academico 95-96 per multas septimanas obtorpuerunt pleraeque scholae in Belgicae parte francophona. Qua de causa? Deest pecunia, aiunt regentes, ad institutionem scholarem iam diu gratuitam sustentandam. Institutio «renovata», quae dicitur, quam ipsi regentes ab anno 1971 gradatim omnibus scholis cycli secundarii imposuerunt, eis nunc appareat nimis sumptuosa. Quae cum ita essent legem anno 1995 condiderunt, qua scholarum numerus minueretur, suppressis minoribus, atque discipulorum numerus in singulis classibus augeretur, unde fieret ut complura milia magistrorum munere privarentur.

Contra hanc legem fere cuncti magistri, discipuli et parentes insurrexerunt. Magistri fecerunt operistitia, discipuli scholas deseruerunt. Magnae hominum multitudines in praecipuis urbibus congregatae vehiculorum commeatum impediverunt atque per vias suam iram clamaverunt. Certe non miramur cur magistri stomachentur, quorum tria milia propter politicorum inconsequentiā munere subito orbantur. Sed insuper magna disputatio orta est, cum nova mutatio lege imposta etiam ad ipsam institutionis rationem spectaret.

Propositum enim est impedire ne ullus discipulus eandem classem bis frequenter. Iterare annum, arguit regimen, non solum est sumptuosum sed etiam discipulis grave. Huic proposito, primo aspectu laudabili, utrum assentiri deceat necne pendet a via electa ad destinatum petendum.

Duae enim sunt viae inter se valde differentes: via traditae institutionis longa experientia comprobatae et via flexuosa institutionis iterum iterumque mutatae atque deformatae, quam imponunt nostri politici dolose nitentes in recentissimis inquisitionibus «scientificis».

Hic infeliciter oportet animo nostro proponamus hoc: omnis sana rationabilisque cogitatio de quocumque problemate a politicis sive reiicitur sive corrumpitur si eorum priori

necessitati adversatur, quae solum spectat ad suffragia multitudinis allicienda. Cum pateant perversi effectus huius modi agendi, politici se defendunt profitentes «democratiam». Hoc vocabulum omnes cives colere iubentur, ne habeantur ut hostes rei publicae. Consulto scripsi «vocabulum». Nam quicumque historiam respicit facile comperit decursu temporum diversisque in regionibus eodem vocabulo «democratiae» appellata esse regimina inter se valde differentia. Quid re vera simile inter hodiernas democratias occidentales et democratiam Atheniensem, omnium primam, quam non omnibus civitatis incolis participare licebat, sed solum eis qui ut cives agnoscebantur, vel recentiores democratias «populares», ubi communistae nomine plebis imperio potiti rem publicam tyrannice regunt?

Hostis rei publicae re vera non est, sed potius bonus civis, is cui non sufficit deam hodiernam «Democratiam» sedule venerari, sed qui etiam mentes eius sacerdotum coryphaeorumque, i.e. politicorum nostrorum, scrutatur atque fundamenta huius novi cultus inquirit.

Theoria democratica hodierna nititur in fraudulentio principio aequalitatis omnium hominum. Quamquam inter omnes constat homines valde inaequales esse corpore, animo, mente cultuque, dogma aequalitatis politicis tanto emolumento est in suffragiis multitudinis alliciendis, ut evidentiam negare malint. Infeliciter vix fieri potest ut theoria politica in mendacio exstructa bonos habeat effectus.

Hic non est locus de his omnibus perversibus effectibus tractandi, sed solum de eis qui institutionem scholarem inquinant. Non sufficit proclaimare homines esse aequales ut tales re vera sint. Cum iam ab aetate scholari apparent diversae discipulorum aptitudines, politici institutionem ita mutandam gradatim curaverunt ut obtegeretur iuvenum diversitas. Una schola «comprehensiva» (cfr Melissam 65) utriusque sexus discipulos accipere debet. Programmata institutionis multo leviora facta sunt atque ad libram peiorum discipulorum aptata. Quod cum



non sufficiat, nunc omnes discipuli, peracto quocumque anno scholari, in superiorem classem admittentur, sint apti annon. Praeterea iam diu non licet magistris discipulos ordinare secundum merita, ne patefiant differentiae.

Haec via facilitatis et uniformitatis peiores peioresque habet exitus, qui iam diu palam denuntiantur: etiam suo ipso patrio sermone recte uti nequeunt plerique discipuli post cyclum secundarium peractum, id quod ante institutionis mutationes iam in fine cycli primarii facere valebant. Iuvenes in annos eo frequentiores quo magis imparati aggrediuntur cyclum tertium sive universitarium. Inde fit ut permulti iam a primo anno animum deponant relinquantque studiorum universitatem. Cum tamen reliqui nimis multi sint atque magna eorum pars, etsi tantum manco cultu generali praedita, ad studiorum academicorum finem feliciter perveniat, frequentiores in annos fiunt iuvenes diploma universitarium consecuti qui munus frustra quaerunt.

Quod omnino non pudet regentes nostros, quamquam eorum culpa res ita se habent. Paulatim tamen tam grave fit eorum incuriae pre-

tium, ut aliquid mutare debeant. Putas fortasse mutationem institui posse, quae institutionem cycli primarii et secundarii confirmet, ita ut discipuli ad studia universitaria aptiores gradatim et merito seligantur. Nequaquam! Potius cogitant de arbitrariis obstaculis imponendis, quibus accessus ad nonnullas disciplinas universitarias, inter quas medicina, coartetur.

Quae cum ita sint, valde miror et doleo ignaviam aequalium nostrorum, qui hanc innominabilem dictaturam tolerant. Certe causa principalis eorum inertiae est quod institutio iam diu facta est gratuita. «Timeo Danaos et dona ferentes» iam olim canebat poeta; re vera nihil est gratuitum. Dona regentium nascuntur e maximis vectigalibus, quae civibus imponunt. Qua pecunia capta sine verecundia utuntur ad institutionem gratuitam suo commodo conformandam. Inde oritur haec res omnino stupenda: cives sua ipsius pecunia rem institutoriam sustentant, sed orbantur facultate talem institutionem eligendi, qualis eis videtur optima!

Caveant cives ne pereat res publica! ☺

## DE EXSECRATIONE BABYLONICA

Nuper in periodico Francogallico c.t. «Le Figaro Magazine» (15 m. Iunii 1996 p. 103) symbolam a scriptore Francisco Sureau compositam sub titulo «La malédiction de Babel» (i.e. de exsecratione Babylonica) legimus... et multum risimus! His enim ipsis argumentis utitur ille vir ad linguam Francogallicam praeponendam, quibus nos uti solemus ad linguam Latinam praeponendam.

In annos, ut scribit Franciscus Sureau, maius studium ponitur in festivis singularitatibus localibus extollendis necnon in sermonibus regionalibus fovendis. Ipse rei publicae praeses huic rei favet eiusque fautores laudat. Rem etiam collaudant multi scriptores, cum facilius sit praemium Nobelianum adipisci de quadam litteratura regionali vix nota quam de litteris Francogallicis. Eandem laudem proferunt politici. Multi enim gaudent quod regimen centrale debilitatur.

Inde fit ut potestas politicorum regionalium crescat. Sed valde timendum est ne superbia mox inflati isti sumptuosas aedes sibi exstruendas iubeant atque multos ministros nonnullasque saltatrices aere publico sustentent.

Haec omnia sub praetextu respiciendae hominum originis! Sed quid prodest civibus victoria mentis regionalis? Terribile exemplum nobis modo praebuit bellum in Balcaniae regionibus. Arrogantia Francogallica sola impedit ne credamus idem quondam accidere posse in Gallia. Seclusae societates humanae gignunt mentem singularem quin etiam per occasionem hystericam.

Haec summatim scripsit Franciscus Sureau, in dialectos regionales invehens. Scrupulus ei tamen in mentem venit, quia addidit hoc: «Fieri potest ut amor patriae Francogallicae etiam sit quodammodo 'regionalismus'».

Nos linguae Latinae vivae fautores ad latiorem universalitatem tendere conamur et supra 'regionalismos' Francogallicum et ceteros vinculum culturale inter gentes eodem historico cultu civili imbutas restituere cupimus. Si quis dicet hoc propositum etiam esse nimis artum, respondebimus gentes eiusdem cultus iam maximo emolumento commissum iri. Tempus enim unici cultus mundani nondum adest. Nam non dubium est quin diu mansura sit aemulatio inter areas culturales inter se maxime diversas... ☺

Gaius LICOPPE

# DE LUDIS OLYMPIIS

SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT



**S**i de athletismo agitur, quid nobis in mentem venit? Imprimis qualitates, quae sunt aemulatio proba, communitas, mens participationis, sanitas corporis et mentis. Postea, suspirio elato, cogitamus haec pulchra proposita nostris temporibus perverti violentiā, pecuniā scopisque politicis. O tempora! O mores! Antiquitus res aliter se habuit! Ah! Paradisus antiquus! Honesti ludi Olympii! Ah! Petrus de Coubertin! Exemplum Graecum coluit, iuventutem educavit, pacem promovit!

Hae autem sunt fabulae. Spectetis antiquitatem. Qui sunt optimi athletae? Spartiatae. Cur? Quia sunt bellatores. Sed temporibus pacificis quid agunt? Athletismum instituunt ut exercitationem et occasionem aemulandi. Inter ludos Olympios diversae civitates pacifice decertant, addita mythologia: nam dei habentur pro athletarum exemplaribus, athletae pro deorum imaginibus. Poetae, qui sunt illius temporis «diurnarii athletici», mythum alunt. Nec pecunia deest, et victoribus multa promittuntur emolumenta.

Medio Aeo et Ecclesia et docti adversati sunt athletismo: corpus contemnebant, extollebant animam. Postquam philosophi (inter quos praesertim Iohannes Iacobus Rousseau) iterum respererunt exercitationem physicam, athletismus

introductus est in scholas: ne homo modernus degeneraret, ut ad naturam rediret, ei erat corpus exercendum. Eadem occasione data... bonus miles fiebat.

Quid de aequitate? Aboletne athletismus differentias sociales? Nequaquam. Optimates numquam voluerunt easdem exercitationes participare ac populares. Dum hi pedifolle ludunt, illi teniludium pilamalleumque preeferunt. Diversae classes habent diversas associationes, quibus diversa nomina dant: suam catholici «circulum» nominant, socialistae «unionem», alii alter. Nam non solum differentiae sociales, sed etiam res politicae ubique preepollent. Rectores, cum athletismo operam dant, uno lapide bis feriunt, ut ita dicam. Nam ex altera parte curanda est novitas quaedam nostri saeculi, id est tempus subsicivum, quod antea non exstitit; cum operariis oblatum sit hoc novum emolumentum, eis etiam danda est possibilitas huius temporis subsicivi terendi. Ex altera parte eisdem cupiunt politicam educationem (suam) preebere. Associationes athleticae pertinent ad utramque necessitatem.

Aboletne athletismus nationalismos? Etiam non. E contrario, eos exulcerat. Mussolinius primus intellexit se turbam in stadio ita conformare posse ut entusiasmo capta gentem athletarum commiseret cum patria. Idem fecerunt Hitlerus inter ludos Olympios anni 1936 multique alii dictatores. Nos autem, colimus athleticam solam, spreto nationalism? Sincere dictum? Si qui Belga, exempli gratia, televisionem Francogallicam spectat, ridere solet quod inter nuntios nihil aliud auditur nisi victorem esse Francogallum, aut Francogallos bene decertavisse, aut Francogallis virtutem non defuisse sed fortunam; sin ad patriam televisionem se convertit, non attendit easdem cantilenas de Belgarum successu aut mala fortuna proferri, de ceteris vix quicquam.

Nihil dicam de fraudibus, de dolis, de medicamentis vires decuplantibus. Nihilominus entusiasmus non minuitur.

Unde fit? Ex mythologia diligenter alita...



# DE CURATIONE ORTHODONTICA

CUM CHIRURGIA ORTHOGNATHICA

SCRIPSIT ODONTOLOGIAE LICENTIATUS PETRUS POUTAMO, LATINE REDDIDIT ANNULA KELA

**C**uratio orthodontica cum chirurgia orthognathica curam significat medicinalem, qua proportio mutua *ossum maxillarium*<sup>1</sup> chirurgice mutatur, si e.g. *maxilla*<sup>1</sup> aut *mandibula*<sup>1</sup> nimis magna parvave est aut nimium procedit receditve, i.e. cum agitur de macrognathia micrognathiave aut prognathia retrognathiave. Mutatio chirurgica horizontaliter aut sagittaliter aut verticaliter fieri potest et etiam ita definiri, ut modo partem maxillae aut mandibulae contineat, e.g. regionem dentium priorum in *apertognathia*<sup>2</sup> corrigenda. Ipsam translationem ossium maxillarium chirurgicam semper curatio antecedit orthodontica, qua dentes cum malooclusione ita corriguntur, ut maxilla et mandibula post curam chirurgicam configi possint nova occlusione dentium usurpata.

Vitia occlusionis dentium, quae chirurgice emendantur, semper naturae tam gravis sunt, ut indicatio maxima sive finis curationis sit potestatem manducandi restituere aut corriger. Aliae indicationes curae ad speciem attinent atque ad dolores articuli temporomandibularis. Curatio etiam ad vitia occlusionis dentium et functionis articuli temporomandibularis impedienda spectat, quae postea fieri possint. Patientes curam petentes causas cosmeticas paulo maioris ponderis habent quam medici, qui patientes curandos paene solis causis functionalibus discernunt. Vitia occlusionis dentium, quae cura chirurgica egent, infrequentia sunt - crebritas eorum variis criteriis circiter binae millesimae est.

Ipsa curatio a diagnosi problematis diligenter facienda incipit itemque a consilio curandi accurate componendo, quod totam curam duorum triumve annorum complectitur. De consilio curandi medicinaliter completo cum paciente colloquendum et - certe - ad consensum de modo curae peragendae pervenientum est. Post praemeditationem curatio incipit orthodontica circiter unius anni, cuius processus exemplaribus gypsatis de dentibus interdum fingendis inspiciuntur. Postquam abnormitates positionis dentium correctae sunt et dentes maxillae mandibulaeque exemplaribus gypsatis inter se

componi possunt, tempus advenit operationis designandae. Hoc tempore arcus dentales harmonici sunt, sed in ore inter se non congruunt. Haec convenientia operatione efficitur, qua rectis arcubus dentalibus usurpati occlusio dentium in sedem suam accommodatur. Curatio orthodontica, quae statum postoperativum expolit, plerumque a dimidio anno ad unum durat. Status curatione impetratus etiam duos per annos instrumentis orthodonticis levibus sustinetur.

Secundum diversas investigationes patientes curatione ipsa statuque postcurativo contenti fuerunt. In investigatione quadam in Finnia facta ex 28 patientibus 17 valde contenti erant curatione recepta et 10 admodum contenti. Unus ex patientibus parum contentus erat statu postcurativo. Decem patientes statum impetratum meliorem quam exspectavissent esse censebant. Medici et odontologi, qui patientes curaverant, minus contenti erant, sed plerumque curationes bene et pro exspectatione evenisse existimabantur.

Curatio orthognathica hodie facultatem dat ad eiusmodi gravia occlusionis dentium vitia emendanda, quae disproportione ossium maxillarium efficiuntur et adhuc duo ante decennia rarissime in valetudinariis specialibus corrigebantur. Pro quibusdam curis longissimis ossa maxillaria crescentia regentibus curatio orthognathica, quae viam celeriorem certioremq[ue] praebet, magis magisque substituitur. Haec curatio ita stabilitur, ut optio curandi consueta fiat, licet impensa admodum magnae retardent, quominus citius extendatur.<sup>3</sup>

\*  
\* \*

## NOTAE TRANSLATRICIS


1 Cum agitur de *osibus maxillaribus*, vocabula *mala(e)* et *maxilla(e)* et singulariter et pluraliter de *osse superiore* aut *inferiore* aut *utroque usurpata* sunt antiquis temporibus. In posteriore autem antiquitate etiam vocabulum *mandibula(e)* pluraliter adhibitum est de

utroque osse (e.g. ISID. orig. 11, 1, 45). Celsus, qui de re medicina et etiam odontologica scribit, os superius pluraliter *malas* nominat osque inferius singulariter *maxillam* (e.g. 8, 1, 9); cum vero de utroque osse scribit, pluraliter *maxillas* dicit (e.g. 2, 7, 32). In hodierna autem anatomia os superius *maxilla* vocatur osque inferius *mandibula*, licet locutiones anatomicae *superior maxilla* et *inferior maxilla* usque ad initium huius saeculi usurpatae sint; usus pluralis hodiernus vix exstat. Hoc in textu, qui maxime ad res hodiernas pertinet, singulariter de *maxilla* et *mandibula* scribo - pluraliter autem Celsus *maxillas* dicentem sequi volo, licet *ossa maxillaria* dicere malim, quod *maxillae*, sicut *malae*, etiam *genas* significare possunt - et cum usu singulari et antiquo et hodierno confundi possint. Adiectivum quidem hodiernum *maxillaris* solum os superius significat, sed ab altera parte *bimaxillaris* et *intermaxillaris* certe ad utrumque os spectant - et Celsus, cum de dentibus *maxillaribus* scribit (e.g. 8, 1, 9), sine dubio os et superius et inferius, quibus dentes infixi sunt, significat. Terminologia nihilominus maxime controversa usuque difficillima est.

- 2 *Aperto-gnath-ia* (Anglice *open bite*) est status «*apertus*», ubi dentes (plerumque priores) contactum inter se non habent, licet habere debeant. Huius modi hybridae, i.e. vocabula

composita, quae elementa et Latina et Graeca continent, minime commendabilia sunt, sed maxime usitata in medicina hodierna; aliud exemplum huius textus est *retro-gnath-ia*. Vocabula autem *ortho-gnath-ia* et *macro-gnath-ia* et *micro-gnath-ia*, quae solis ex elementis Graecis constant, recte constructa sunt, sicut etiam *orth-odont-ia*. Vocabula in *-gnathia* (< Gr. γνάθος = Lat. *maxilla*) terminantia tam frequenter in odontologia hodierna adhibentur, ut iis uti cogar; aliter pro huius modi hybridis locutiones magis Latinas, licet minime antiquas, substituere conata sum (e.g. *dys-functio* = *vitium functionis*) - quin etiam pro aliquot compositis plane Latinis, sed sonatu pessimis (e.g. *mal-occlusionem*, quod usitatissimum est et quo semel usa sum hoc in textu, *vitium occlusionis dentium* appellare malo).

- 3 Curatio orthodontica cum chirurgia orthognathica novissimus progressus orthodontiae est. Primam autem mentionem orthodontiae nobis conservatam facit Celsus: «*Si quando etiam in pueris ante alter dens nascitur quam prior excidat, is qui cadere debuit circumpurgandus et evelendus est; is qui natus est in locum prioris cotidie digito adurgendus, donec ad iustum magnitudinem perveniat.*» (7, 12, 1F). Haec quoque curatio pristina adhuc adhibetur. ↗



In pictura A suturae videntur osteotomiae sagittalis mandibulae, quae una ex formis chirurgiae orthognathicae est. In pictura B fragmenta mandibulae discisae et productae cochleis confixa sunt. Productione opus est e.g. in retrognathia mandibulae corrigenda. Pinxit Petrus Poutamo.



# INTERRETE DISPUTATIONES IAM COMMOVET

NARRAT FRANCISCA DERAEDT

**I**nterrete omnibus est in ore. Ante unum annum vix quisquam sciebat quid esset; hodie, si quis non vult rudis videri, oportet hoc verbum magicum nonnumquam inserere sciat in colloquia. Quid? Nescitis quid sit «Mundiale Araneum»? Tunc estis nemines. Non solum plures pluresque societates commerciales interreti sunt coniunctae, sed etiam plurimi privati hoc modo informationes comperiunt, quae aliter vix inveniuntur.


At «rete retium», quod dicitur, ita crescit ut problemata gignat technica ethicaque. Inde fit ut variis conventibus specialistae et rectores hoc argumentum saepius saepiusque tractent.

Difficultates technicae tales non sunt, quae superari nequeant. E contrario, ii qui informaticam et telecommunicationes et electronicam curant valde gaudent, quod pluribus interrete utentibus nunc desiderant ordinatra magis valida, nova programmata, meliores lineae telephonicae, multa alia. Qualis mercatus! Anno 1983 ducenta ordinatra coniuncta erant interreti. Cogitatis ante finem huius saeculi hominum interrete adhibentium exspectari... 200 miliones!

De difficultatibus ethicis res aliter se habent. Arabia Saudiana, exempli gratia, vult Islamismum interrete propagare et emolumenta pecuniaria recipere. Nihilominus et pornographiam timet et praeconia adversorum. In America etiam mentes agitantur argumentis interrete propositis: America ex altera parte colit libertatem opinionis exprimendae, ex altera parte castitatem. Mense Februario Vilemus Clinton hoc promulgavit, ut obscenitas interrete excluderetur; nuper tamen quoddam tribunal statuit hanc legem impositam esse contra rei publicae constitutionem, in qua libertas maximi est momenti. Controversia erit supremo tribunali dirimenda; interea haec quaestio iam dicitur esse historica.

Francophoni autem difficulter repugnant usui linguae Anglicae. Nam, praeter Francogalliam partemque Canadae, pleraque regiones francophonae iam assuefactae sunt linguae Anglo-Americanae...

Ceterum longe abest ut «Mundiale Araneum» re vera sit mundiale: multae enim nationes sunt nimis pauperes quam ut interrete curare possint. In India, exempli gratia, ubi habitat fere unum



*Quaedam aranea nigra iam ambulat  
in «Mundiali Araneo»...*

miliardum hominum, solum numerantur decem miliones instrumentorum telephonicorum. Atque in una universitate Americana sunt plura instrumenta telephonica, quam in tota Africa. Non solum hi erunt adiuvandi, sed etiam Europaei orientales et alii, ut progressus scientiae inter omnes communicentur.

Interea res celerrime progrediuntur. Quamquam interrete nondum patefecit omnes possibilitates suas, specialistae iam longius cogitant. Iterum novum verbum nobis est addiscendum: agitur de «intrarete», «Intranet», i.e. retia privata technicam interretis adhibentia. Emolumentum est quod haec systemata praebent interretis universalitatem sed subnotatores tegunt ab exterioribus. Hic modus communicandi multis societatibus videtur tutus, efficax et facilis. Societates informaticae hoc commercium multum curant; anno praeterito intrarete vix exstabat; hoc anno iam pertinet ad tria miliarda dollariorum.

Si Sanctus Augustinus scivisset opera sua aliquando praesto fore in interrete... Mihi de his rebus cogitanti nonnumquam fit vertigo. Haec, quae mihi videntur novissima, dum scribo, iam obsolescunt. Quid novi cras fiet?

# SIDRONIUS HOSSCHIUS

POETA LATINUS (1596-1653)

[III. ARTIS HOSSCHIANAE SPECIMINA] SELECTA A THEODORICO SACRÉ

## 1. Ex eleg. II, 1: *Matri misericordiae votum a letali morbo*

Anno 1646 paulo post urbem Contracenam a Gallis captam morbo laborare coepit Sidronius tam gravi ut de salute eius desperaretur. Convaluit tamen et Mariae, Matri Misericordiae, quae Contraci singulari veneratione colebatur, carmen vovit; quod Rector Collegii Societatis Iesu Contraceni elegantissima forma descriptum aerae Dei Matris appendendum curavit.

Vota fidem poscunt: hanc solvimus. Accipe, Mater,

et pariter votum corque voventis habe.  
Divitias alius sacras suspendat ad aras,  
carmen ego: nostras accipe carmen opes.  
Hoc ego sum pactus fugientem munere vitam:  
saepe tuus sequitur munera parva favor.  
(...)

Tu mihi, Lisa pater<sup>1</sup>, qui nunc nostrisque tuisque  
exundas lacrimis, tu mihi testis eris:  
quae rerum facies, quis tota luctus in urbe!

Mors prope iam nullas non ferit atra fores.  
Seu facit hoc belli terror, seu numinis ira,  
seu dolor et curae, seu gravis aura nocent:  
victa prius ferro, nunc urbs exhausta suorum  
funeribus, gemino carpitur aegra malo.

Cui non adfuiimus, cui non succurrimus aegro?

Hausimus hinc nostri semina prima mali.  
O quoties tristes succos herbasque potentes  
sumpsimus et docta pocula mixta manu!  
Omnia nequidquam: flammae crevere medendo,  
ut solet affusa fortior ignis aqua.

«Ah frustra» dixi «de me speratis, amici:  
quod patimur nulla vincitur arte malum.»

(...) Illustres vivant animae; me cedere fatis  
quid refert? Nulli fleibile funus ero.

O ubi crux et in hac Iesu morientis imago?  
Huc ades, o vitae portus et aura meae!

Te stringam moriens, te spectent nostra supremum  
lumina, te teneam deficiente manu.

(...) Vox quoque caelestis, nisi fallimur, impulit aures;  
illa «Veni! » nobis dicere visa fuit.

Nulla mora est, venio: vires amor addet et alas.

Terra, vale! liber nec tuus astra peto.  
Ergo ego iam divum formosa palatia tangam?  
Ergo ego iam superi pars ero parva chori?  
Dum loquimur, tenebris acies torpescit obortis,  
vanescunt sensus eripiorque mihi.  
(...) Deploratus eram: tumulus mihi solus et urna  
deerat et exequiis ultima pompa meis.  
Quis non ex ipso me dixit adesse sepulchro  
ossaque et exuvias inde referre meas?  
Diva, tuum hoc opus est: ego te miserante revixi,  
haec mihi das voti praemia ferre mei.  
Quod mihi nunc aliquae superant in carmina vi-  
res,  
scribere quod possum, quod memor esse, tuum  
est.  
Vivere nec tanti, sed per te vivere dulce est:  
plus tu quod dederis quam data vita iuvat.  
(...) Lisa retro properans verso prius amne recurret  
nec fundet solitas urna perennis aquas,  
quam mihi quod vita iam deficiente tulisti  
auxilii ante oculos non stet imago tui. (...)

\*  
\* \*

## 2. Ex eleg. 2 Christi patientis: *Christum ingenti patiendi desiderio semper arsisse*

Anno 1649 Hosschius, cum in aula Bruxellensi Leopoldi Guilielmi archiducis ephebis historiam traderet, de Christo paciente elegias divulgavit. Hoc autem carmine, e quo locos aliquot excerptsimus, contendit Christum inde ab infantia crucem futuram prospexit. Fuerunt versus hi celeberrimi: ipsos paucis post annis Judocus Andreas e S.I. libello cuidam suo inseruit eosdemque P. Adrianus Poirters, scriptor praeclarus, Nederlandice ex parte reddidit et poetice.

Vagierat. Mater frigus nocuisse putavit  
aut rigido laedi stramine molle latus;  
quaque potest stipulas et fenum mollius aequat,  
quaque potest frigus lenit et arcet ope.  
Nil agis, o Mater: dolor hic et causa doloris  
materna tolli sedulitate nequit.



Non tantum plorat quia cannae et stramina laedunt  
et quia plus duro stramine laedit hiems  
(quamvis et plorat quia cannae et stramina laedunt  
et quia plus duro stramine laedit hiems),  
quantum quod longi mora temporis obstat amanti  
et videt extremum tam procul esse diem.  
Si liceat, iam flagra pati, iam saucius altae  
affigi cupiat bracchia parva cruci.  
Ipsa crucis mora tormentum est cruce durius ipsa:  
hanc puer, hanc causam cur lacrimetur habet.»

\*  
\* \*

### 3. Ex eleg. 5 Lacrimarum S. Petri: Casum suum orbi manifestat

*Paulo post Christum Patientem undecim elegias de  
S. Petro, Christi proditore, conscripsit Hosschius,  
quarum venustissima est quae de errore ipso et casu  
Petri agit.*

«Tum vero extimui; stabam sine sanguine pallens  
attonitoque diu nil mihi mentis erat.

Quid facerem? Sequerer? Misero timor obstat  
amori.

Terga darem? Prohibet vertere terga pudor.

(...)

Cedit amor: fugio comitumque exempla secutus  
obscurae noctis munere tuta peto.

Mox dubitans medioque inhibens vestigia cursu,  
«Quid facis, a?» dixi; «quo miser, unde fugis?

Quid nisi mors superest, vitam si deseris ipsam?  
Haec pietas nullo concutienda metu?

Spiritus hic ille est omni discrimine maior?

Haec sunt militiae splendida facta tuae?»

Vincit amor; redeo; sed non bonus augur eunti,  
plurima dum subeunt, pes mihi tardus erat:  
et sequor et timido moveo vestigia passu;  
ire iubebat amor, lentius ire timor.

Et iam contigeram scelerati limina tecti,  
limina tam timido non adeunda pede.

Ingredior; vires animus dabat, at mihi quanto  
(et pudet et dicam) quam prius ille minor!

A quoties finxi vultum voluique videri  
fortis et occultos dissimulare metus!

A quoties oculos nostris in vultibus omnes  
esse ratus, nostri conscientia signa dedi!

Heu quam difficile est animum non prodere vultu!  
Hic aperit quidquid cura timorque tegunt.

Prima foris custos praesensit serva quis essem,  
prima mihi «Capto tu comes», inquit, «eras».

Protinus ut trepidas vox haec mihi perculit aures,  
pallor in attonito plurimus ore fuit.

Ille refutabat linguae mendacia pallor,  
plus prope me patrio prodidit ille sono.»

\*  
\* \*

### 4. Ex Silva: Monti Blandinio felicitatem gratulatur novo abbatte inaugurate

*Anno 1651 mense Iulio Antonius Engrand  
Betunensis (qui obiit Gandae anno 1654) sollemniter  
est inauguratus abbas monasterii S. Petri in Monte  
Blandinio (in agro Gandavensi); cui Sidronius  
compluribus poematis est gratulatus. Hoc carmen  
strophis Asclepiadeis est exaratum.*

Divae Pierides, si iuga montium,  
si valles riguae, si gelidis placent  
lapsi fontibus amnes  
sacrataeque Deo domus,

clarum Blandinii visite verticem,  
dilectum superis visite verticem,  
quem non flumina tantum  
vallesque et vitreus latex

et divum decorant limina, limina  
late conspicuis ardua turribus,  
quantum qui modo sacris  
divum liminibus praeest:

quem vallis riguae pascua, quem iuga  
agnoscunt dominum, cui famulantia  
prono culmina gaudent  
se submittere vertice.

Ille ingens animi robur et optimis  
fetum consiliis pectus et in suos  
fidum praebet amorem,  
vestris materiem choris.

Felix Blandinius prae side mons novo!  
Factus nobilium tu quoque montium,  
caelum vertice tanges,  
Cassini prope par iugol<sup>1</sup>

\*  
\* \*

### ADNOTATIONES


1 Lisa flumen Nederlandice Leie vocatur, Gallice Lys.

2 Dicit Montem Cassinum coenobio clarissimum.



# INGENUUS - SERVUS - LIBERTUS

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS



**R**es effossas visentes expositasque in museo quodam archaeologico circumdati sumus testibus testimentiisque antiquitatis: lapides sepulcrales, votivi, tituli, monumenta sepulcralia, triumphalia, picturae murales, dona suprema, statuae pertinentes ad imperatores, viros nobiles, civiles, milites, opifices, divites, maerentes, rarissime felices, mortuos.

In omni ergo societate humana lineae quaedam separationis existant inter varia strata socialia, lineae diaereseos. Nostra aetate illae lineae separativae mobiles sunt, variabiles, fluxae, flexibles. In antiquitate autem, praecipue principatu ineunte, servus ante tricesimum vitae annum manumitti vix solebat. Lineae diaereseos inter strata socialia illius aetatis erant rigidae.

At quid de illis gladiatorum ossibus sine capulo effossis, sine sarcophago, sine urna cineraria, sine lapide, sine titulo, donis supremis parentibus? Quid de illis servis in ergastulis perditis quorum cadavera noctu libitinae imposta extra moenia efferebantur ac in puticulos fossasque communes coniciebantur? Quid de illis miserrimis Christianis a leonibus in arena dilaceratis? Paupertas nulla relinquit vestigia, e.g. titulos, lapides etc; paupertas indirecta tantum modo cognosci potest.

Propositum mihi est de nonnullis tantummodo

aspectibus talis thematis socialis immensi ad ingenuos, servos, libertos pertinentibus disserere.

\*  
\* \*

Certe textum sociale illis temporibus satis erat intricatum sive complicatum: initio *reges* eligebantur *principesque* inde ab Augusto imperitante. *Nobilitas* quoque exstabat; *patres conscripti* inde ab 5° a.C.n. saeculo: *patres oriundi* e familiis patriciorum nobilium. *Conscripti* plebei nobiles erant eadem aetate ad nobilitatem admissi propter de re publica merita. Et patres et conscripti inter nobiles habebantur muneribusque maximi fungebantur momenti: censoris, aedilis, tribuni plebis, quaestoris. Ille *ordo senatorius* magna fruebatur auctoritate ponderis socialis divitiarumque gratia; latifundiorum possessores erant patronique innumerabilium clientium. Insignia iis erant honorifica: tunica lato clavo purpureo exornata calceusque ruber senatorius.

Quaedam restrictiones iis erant observandae: iis non licebat Italiam relinquere sine permissione; non licebat naves possidere magnas; non licebat mercaturam facere commercialem.

*Titulus clarissimi* iis erat hereditarius. Foederum paciscendorum causa extra Italiam mittebantur ad alias civitates. Auctoritate senatus fieri poterat, ut imperator modo defunctus *hostis* indiceretur populi Romani aut *damnationi* exponeretur *memoriae*.

Res familiaris minimalis constituta senatoris erat 1.000.000 sestertium, quorum tertia pars constare oportuit ex agris, latifundiis, praediis; ea de causa bellis finitis agros acquirere studebant in regionibus modo expugnatis quam plurimos. Aditus iis erat gratuitus ad theatra, curricula equorum, gladiaturas, venationes. Magnae insuper pecuniae iis erogandae erant in templo, aqueductus, theatra exstruenda conservandaque.

Aetate principatus plurimi aestimabantur; Augusto quidem Tiberioque imperantibus competentia senatorum quodammodo satis est resecata.

\*  
\* \*

Itemque *ordo equitum Romanorum* patriciis adiudicabatur, i.e. nobilitati; aetate rei publicae exeuntis summa erat classis socialis plebeiorum.

Dissimiles senatoribus negotia commercialia nummariaque maioris dimensionis exercere iis licebat, feneratores erant publicanique in provinciis talique modo maiores sibi congerere valebant opes senatoribus; quo factum est, ut decursu temporum *ordo socialis* sint facti propter divitias coacervatas.

Eques Romanus bene erat conspicuus amiculo trabea purpurea ornato manuque aureo anulo decorata. Quaedam quidem exstabat condicio: rem familiarem minimalem 400.000 sestertium esse oportuit. Ceterum maior pars officiariorum in exercitu equites erant Romani, e.g. procuratores et praefecti militum in Aegypto aliisque in provinciis, classi praerant cohortique praetorianae. Capita erant in grapheocracia imperatoria. Aetate autem principatus auctoritas equitum Romanorum tabescit libertis - immo vero infantibus - ordini admissis.

Tituli insignes equitum Romanorum ab imperatore collati secundum locum in ordine sociali erant hi: *vir eminentissimus, vir perfectissimus, vir egregius*. Titulus equitis Romani non erat hereditarius.

\*

\* \*

Insuper aliae quoque exstabant categoriae structurae socialis Romanorum. *Mercatores divites* et *magistratus* civitate fruentes Romana nobilitati quoque adiudicabantur; *ordo senatorius* et *ordo equester* iis erant accessibiles. Condicio autem quaedam exstabat: magna pecuniae copia necessaria erat, ut ad illos duos ordines supra citatos, ad munera militaria, administrativa cursusque honorum admitterentur.

\*

\* \*

Itemque *peregrini indigenaeque* categoriam constituebant sui generis: opifices, mercatores, minores, tabernarii quibus conubiis mixtis collegiisque iuvantibus ascensus socialis erat possibilis. Civitate Romana praediti valde id agebant, ut ad systema sociale Romanorum adsciscerentur. Cultum humanum oppexumque imperatorum ac imperaticum imitantes vestiti erant secundum gustum Romanorum linguamque discebant eorum.

\*

\* \*

*Libertus* civitate Romana fruebatur, certe, status autem socialis servitus erat continuata operarum patrono praestandardarum causa.

\*

\* \*

Quod attinet ad *servum*, non erat persona, sed *res, instrumentum articulatum* secundum Varronem, non erat sui iuris (cfr *Gaulois et Romains en Aquitaine. Protohistoire gallo-romaine et Haut Moyen-Age, Ville de Bordeaux*, 1991, p.73).

\*

\* \*

## I. INGENUUS

Et quid de *ingenuorum* praerogativis munieribusque?

In museo Romano-Germanico Coloniensi lapis quidam sepulcralis opere caelato exornatus civem repraesentat Romanum mensae accumbentem togaque indutum, ergo ingenuum. Titulus nos docet de quo agatur:

M. VAL.CELERINUS.PAPIRIA.ASTIGI.CIVES.  
AGRIPPINE(ns).VETER(anus).LEG(ionis).X.G.P.F.  
VIVOS.FECIT.SIBI.ET.MARCIÆ.PROCULAE.UXORI.

Lapis anno 110 p.C.n. circiter est adiudicandus cuius titulus significatus est, quia tot textus elementa Celerinum civitate Romana praeditum fuisse indicant: *vir vere Romanus* erat quia vir trium nominum secundum illud *ius trium nominum*. *Papiria*: nomen *tribus*. Vir *ingenuus* tantummodo ad tribum admittebatur. Unusquisque civis immo vero sine possessionibus membrum erat cuiusdam tribus. Censorum erat novos cives alicui tribui ascribere. 35 exstabant tribus inde ab 3º a.C.n. saeculo, quarum 4 erant *tribus urbanae* et 31 *tribus rusticae*.

Membrum hereditarium tribus esse censui inserviebat in dilectu a tribunis aerariis comitiisque tributis habendo.

Unicuique tribui *una* tantummodo erat vox, qua de causa magistratus conabantur distributione impari civium novorum periculum *maiorationis*, ut ita dicam, temperare sive vitare: liberti enim una cum faece plebis illis quattuor tribubus urbanis erant ascripti. Illae autem 31 tribus rusticae divitibus nobilibusque erant reservatae, quae tali modo preponderabant.

## *De moribus antiquis*

In nomine civis Romani mentio tribus generatim inter filiationem i.e. inter nomen gentilicium et cognomen abbreviata erat inserta primis tribus litteris initialibus.

Tribu communi tribules mutuo obligabantur auxilio i.e. ad auxilium inter se ipsos ferendum.

Augustus testamento unicuique tribui decies centena milia sestertium legavit.

In tertia tituli linea Celerinus «civem Agrippinensem» se designat: rude donatus Noviomago, ubi legio X habebat stationem, Coloniam se contulit et cum esset ingenuus, civitatem Coloniensem acquisivit.

VETERANUS.LEG.X: ingenuo tantummodo militare licebat in legione; post militiam 20 annorum rude donabatur veteranus factus. Ad veteranum Romanum 13 pertinebant stipendia annua. Peregrinis, libertis, servis non licebat militia in legione, perpaucis occasionibus exceptis; peregrini 25 annos militabant in auxiliis Romanorum; rude donati iisdem fruebantur praerogativis ac legionum veterani.

Ultima tituli vox est *uxor*. Ingenuo tantummodo erat *uxor*, cui matrimonio erat iunctus. Servus *contubernio* iunctus erat cum *contubernali*.

\*  
\* \*

Ad ingenuum pertinebant:

### I. iura politica:

- 1) ius suffragii: i.e. ius vocis activae et passivae.
- 2) ius honorum: ingenuo patebat cursus honorum pertinens ad munera honoraria (aedilis, quaestoris, praetoris, tribuni plebis)
- 3) ius sacerorum: ingenuo licebat sacris publicis interesse. Munus sacerdotis iis erat accessibile. Servi ad sacra publica non admittebantur. Sacris privatis tantummodo erant admissi.
- 4) ius provocationis: i.e. provocatio sive appellatio ad populum.

### II. iura privata:

- 1) ius commercii: ingenuo licebat commercium quodlibet exercere divitiasque sibi congerere.
- 2) ius conubii: feminam ingenuam in matrimonium ducere ei licebat. Servi cum contubernali (= serva) erant iuncti.

### III. munera:

- 1) quotannis ad censum hominum habendum se conferre.
- 2) obligatio militandi.
- 3) obligatio tributi persolvendi.

### Civitas Romana acquiritur:

- 1) ortu
- 2) ab infantibus libertorum
- 3) a peregrinis
- 4) manumissione

### Civitas amittitur:

- 1) si quis se subtraxit a censu
- 2) si quis se subtraxit a militia
- 3) si quis *ius gentium* violaverit
- 4) si quis in alienam inciderit servitutem

Libertus civis erat sine suffragio (i.e. sine voce activa et sine voce passiva). Infantes liberti tantummodo fiebant liberi, i.e. ingenui.

Civitas Romana non solum conferebatur nativitate, sed etiam a re publica praeberi poterat aut modo collectivo. Quod attinet ad *civitatem modo collectivo partam*, civitas etiam pertinet ad adoptionem *trium nominum* et relationem in *indicem tribus*. Civibus iuris restricti non erant illa iura politica. Aetate rei publicae maior pars incolarum Italiae civitate Romana non fruebantur. *Peregrinis* status erat *extraneorum* in Italia viventium. Nihilominus militandum iis erat in auxiliariis exercitus Romani.

Condicio maximi momenti: cognitio linguae Latinae.

Si femina ingenua vivit cum servo:  
 - in servitute vivit in domo domini servi  
 - serva fit, ingenuitatem amittit  
 - non vivit in matrimonio / conubio, sed in *contuberno*  
 - non vocatur *coniux*, sed *contubernalis*.

(sequetur)

# DE AUGUSTINIANO ROMANO

SCRIPSIT IOHANNES IRMSCHER

**P**atres Ordinis Sancti Augustini omni tempore studiis sacris favisse inter omnes historiae litterarum peritos constat; studia theologica quaeque patres ecclesiae explicaverunt systemata, imprimis quae Sanctus Augustinus docuit atque posteris hereditatem spiritualem reliquit eis semper cordi erant. Studium Generale Romanum saeculo decimo quarto apud Conventum Sancti Augustini fundatum, cui saeculo decimo sexto Bibliotheca Angelica celeberrima adiuncta erat, ordo continuavit. Postquam anno 1871 conventu ubi sedes curiae generalis Ordinis Augustiniani constituta erat sublato Bibliotheca Angelica a republica Italica confiscata est, anno 1882. Conventus generalis in villam Cesianam temporibus antiquitatis renascentis prope columnas aream Sancti Petri cingentes aedificatam translatus est, in quo loco facultas studiorum sacrorum recipiendorum dabatur; hodie quoque in villa Cesiana sedes Conventus Generalis Ordinis Sancti Augustini reperitur. Ut studia theologica pergerentur, Sedes Apostolica anno 1908 permisit Pio X Pontifice Maximo Collegio Internationali Augustiniano a Sancta Monica nominato facultates theologiae atque iuris canonici concedens.

Illud collegium ab anno 1955 Studium Theologicum Augustinianum nominabatur cui potestas graduum academicorum, qui sequuntur, tribuendorum concessa erat: baccalaureus theologiae, licentiatus theologiae atque scientiarum patristicarum, doctor theologiae atque scientiarum patristicarum. Hoc Studium Theologicum Augustinianum anno 1965 cum Facultate Theologica Pontificiae Universitatis studiorum Lateranensis coniunctum est. Anno 1969 Institutum Patristicum Augustinianum fundatum atque anno sequenti a Paulo VI Pontifice Maximo inauguratum est.

Hodie institutum centris quae studia patristica colunt, optimis attribuere possumus.

Augustiniano hoc tempore Pater Vittorino Grossi, OSA, professor patrologiae praeest, qui a vicario Roberto Dodaro, OSA, professore patrologiae, in munere gerendo adiuvatur. Quattuor professores ordinarii Ordinem Sancti Augustini professi vocati sunt. Ex viginti professoribus, quibus ut doceant mandatum est, plurimi Augustiniani sunt, nonnulli aliis

congregationibus ascribuntur, pauci laicales sunt. Praeterea singulae paelectiones hominibus peritissimis vel sacerdotibus vel laicalibus committuntur. Plerique professores suis indagationibus nisi libros doctos ediderunt.

Candidatus baccalaureatus in theologia post biennium philosophicum per tres annos in studia theologica incumbere iussus est: examen finale «universam materiam disciplinarum quibus addiscendis in curriculo operam dederit» complectitur.

In Augustiniano lectiones speciales ad historiam atque spiritualitatem Augustinianam pertinentes omnibus studiosis offeruntur. Qui honores licentiatus in theologia atque scientiis patristicis adipisci in animo habent, paelectiones patristicas secundum Augustinianum programma a professoribus habitas sequuntur. Omnia quae ad Augustinum pertinent iis magnopere cordibus sunt. Eis diploma in theologia atque scientiis patristicis attribuitur. Qui licentiatum theologiae atque scientiarum patristicarum adepti sunt, doctores earum disciplinarum fieri possunt. Dissertationem 150 vel plurium paginarum defendere debent. Tres professores ad dissertationem probandam ordinantur. Dissertationes probatae plerumque prelo mandantur. Sub condicionibus similibus honores licentiatus in scientiis patristicis et doctoratus in scientiis patristicis adipisci baccalaurei possunt.

Augustinianum institutum parvum est paucis studiosis erudiendis destinatum. Qua de causa eis qui ex omnibus partibus terrae Romam venerunt, ut indagationibus intersint, facultas datur. Palaeographia docetur; linguam Syriacam iuvenes discere possunt. Cathedra specialis studiis Augustinianis dedicata exstat, quae ex Agostino Trapè qui hanc cathedram instituit nominatur.

Viris atque feminis doctis, qui in universitatibus studiorum vel aliis institutis docent, Augustinianum lectiones speciales, quae progressum scientiarum patristicarum exhibent, praebet. Quibus lectionibus exempli gratia de apologetis secundi saeculi, quomodo civilitas atque religio saeculo secundo et tertio interfuerint, de historia Romae a Constantino usque ad barbaros, de Antiochia urbe clarissima pagana et Christiana, de Christianitate Asiatica secundi saeculi, de rhetorica classica et Christiana, de apocryphis

Christianis et de multis aliis rebus tractabatur. Interdum acta istorum seminariorum typis exscripta sunt.

Semper acta eduntur conventuum anniversariorum studiosorum antiquitatis Christianae. Ex multis regionibus viri dominaeque in Augustinianum vehuntur, ut collega cum collegis de rebus patristicis disputent. Anno priore de ethica Christiana quomodo saeculis tertio atque quarto se evolvisset quaerebatur; centesimus quartus conventus erat. Praecedentibus in conventibus, quomodo scriptores Christiani

antiqui res gestas narravissent, quales differentiae in Christianitate variarum regionum Latinae partis Maris interni reperi possent tractabatur. Acta conventuum atque ephemeris «Augustinianum» hominibus doctis res gravissimas atque praeclarissimas praebent. His operibus Institutum patristicum Augustinianum Romanum magnopere excellit.

Consilia atque proposita Augustiniani, ut omnia prospere eveniant, Deus omnipotens bene vertat. ☩

## DE FABULA NIOBES

SCRIPSERUNT UNDECIM DISCIPULI

*Exstant magistri felices! Inter quos numeratur Ingrides Desmedt, cuius discipuli enthusiasmo capti fabulas secundum textus Ovidianos conscriptas ad Melissam iam saepius miserunt. Ecce nunc historia Niobes, quam vobis proponunt Brenda Debbaut, Tania De Decker, Angelica Foré, Tina Rommel,*

*Niobe (secundum Ovidium, Met. VI, 145-312)*

Niobe - pater huic Tantalus, rex Lydiae et mater huic Pleiadum soror - magnam familiam, septem filios et septem filias habet. Festum Latonae matri Apollinis et Dianae donatur. Niobe irata est et dicit: «Ego dignior Latona sum, quia septem filios et septem filias habeo et Latona solum duos liberos habet». Niobe audax est.

Dea Latona indignata est et poenas dat. Septem nati Niobes cadunt, icti Apollinis telis. Niobe septem corporibus gelidis incumbit et oscula dat natis. Bracchia tollens et dicit: «Exulta victrixque inimica triumpha. Cur autem victrix? Miserae mihi plura supersunt quam tibi». Insonat contento nervus ab arcu, qui omnes conterret, praeter Nioben. Illa malo est audax. Sexque filiis datis leto diversaque vulnera passis, ultima restat. Niobe clamat: «Unam minimamque relinque». Dum rogat, pro qua rogat, occidit. Orba residit inter exanimes natos, natasque virumque. Derigescit malo. Nullos movet aura capillos. In vultu color est sine sanguine. Lumina maestis stant immota genis. Nihil est in imagine vivi. Ipsa quoque interius lingua cum duro palato congelat et venae desistunt posse moveri. Nec flecti cervix, nec bracchia reddere gestus, nec pes ire potest. Intra viscera saxum est. Flet tamen. Circumdata turbine in patriam rapta est, ubi fixa cacumine montis liquitur et lacrimas etiamnum marmora manant. ☩

*Adelaidis Van de Wynckel, Vuterus Claeys, Theodoricus De Coninck, Iohannes De Reu, Gaspar Deyne, Theodoricus Gryp et Bartholomaeus Verstuyf, discipuli tertii anni in schola c.n. Mevr. Courtmansschool, in urbe Maldegem.*





... De Latinitate viva in scholis

**Christianus Laes** iuvenis magister linguae Latinae experientiam suam nobis patefacit:

«Christianus Laes Gaio Licoppe s.p.d.

«Attentius legi quae tu in sessione Societatis Latinae monuisti de Latinitate viva propaganda - et recte meritoque animadvertisi in scholis, quoad Latinitatem vivam, vix ullam spem esse ponendam.

«Cuius rei plurimae sunt causae. Prima, eaque maxima, quod magistri ipsi Latine loqui prorsus nesciunt remque respuunt ut inutilem, supervacuam et prorsus abiciendam. Sed ubi alias, easque meliores sententias de hac re comperire potuissent? Numquam in studiorum universitatibus de Latinitate viva aliquid audiverunt, ne ullum verbum Latinum sponte sua ex ore emiserunt!

«Sed etiam si Latinitati vitae faverent (modo utor irreali!), eam in scholis propagare nequirent! Exstat enim «programma materiarum ediscendarum linguae Latinae» ubi omnis usus activus paene prohibetur, vixque magistris conceditur ut discipulos formas verbales casusque formare et scribere requirant.

«Sunt etiam aliae condiciones respicienda.

Cum in plerisque gymnasiis plus quam unus professor linguae Latinae adesse soleat, oportet eos praceptorum idem programma et eosdem fines spectare ne discipuli singulorum annorum mutationibus conturbentur et confundantur. Perdifficile autem erit, ut opinor, eodem in gymnasio duo vel tres professores propagatoresque Latinitatis vitae invenire...

«Rebus sic stantibus, estne omnis spes deponenda? Minime vero. Paucis minutis institutioni obligatoriae surreptis, magister discipulos enthusiasmo suo ad vivam loquelam Latinam alliciat; narret et demonstret quomodo fieri possit ut etiam in rebus hodiernis hanc linguam adhibeamus.

«Ceterum spem ponamus in institutione extrascholari, in fundationibus Latinitatis vitae, necnon in periodicis seminariisque. Quod ad consilia tua pertinet: optimum mihi videtur consilium seminaria variorum graduum instituere (quid putas de seminariis adolescentibus destinatis?). Qua in re si quando tibi auxilio opus erit, scito me semper praesto esse!»



... De linguis internationalibus

**Hermann Deceuninck** gratias agimus de documentis nuper missis, quae pertinent ad linguam esperanticam et ad interlinguam.

Calendarium sui generis editum est ab associatione Paderbornensi «Europa Club» nominata, cui propositum est linguam esperanticam promovere: **Europa Kalendaro. Fasti Europenses 1997-1998, Paderbornae 1996** (Europa Club, Prof. Frank, Kleinenberger Weg, 16b

- D-33100 Paderborn). In quo calendario singuli dies attractive signantur delineatione quattuordecim linguis explicata, i.e. esperantice, Latine et tredecim linguis vernaculis. Etiam proponitur, vernacule, esperantice et Latine, descriptio singularum nationum Europaearum. Huius operis sermo Latinus est a D.re P. Caeleste Eichenseer Societatis Latinae praeside scienter retractatus.

Hoc doluimus, quod longae symbolae quibus enuntiantur scopi et principia et proposita supradictae associationis solum sunt Theodisce et esperantice conscriptae; de textu autem esperantico vix quicquam intelleximus.

Qua de causa, si despecto cultu civili omnino necessarium esset linguam internationalem adhibere, quae fundamento culturali carens solum fieret vinculum quoddam

8/7 mardo		KATO KAJ KATIDO  CATTA ET CA-TULUS	G eine Katze und ein Kätzchen A a cat and a kitten F chat et chaton I gatto e gattino N een poes met een jong D en kat og en kattekilling E cat le piscin	H γάτα και γατάκι S katt och kattunge C gato y gatito P um gato e uma gata L eng Kaz an eng Miässchen FI kissa ja kissanpentu
9/8 mer-kredo		KOKINO KUN KOKI-DOJ  GALLINA CUM PULLIS	G eine Henne mit Küken A a hen with chicks F poule avec poussins I gallina con pulcini N een kloek met kuikens D en høne og en kylling E cearc le siccini	H κότα και κοτόπουλα S höna med kycklingar C gallina con pollitos P uma galinha com frangos L eng Kluck en e Jhippelchen FI kana ja kananpoikia

omnibus facile, tunc interlingua esset optabilior, quae sine ulla difficultate intellegi potest et a 170 milionibus Europaeorum quorum lingua oriunda est e sermone Latino et a ceteris 60 milionibus quorum lingua multum debet sermoni Latino.

Exempla afferamus. Ecce imprimis nonnullae lineae esperanticae excerptae e Fastis Europensibus (p.80): «Ni volas nenun ellimigon de ajna lando apartenanta al la eūropa kontinento, kiu estas liberema ankaŭ rilate al siaj etnaj minoritatoj; sed aliflanke ni ne volas «alligon» de granda azia teritorio malantaŭ la Uralo.» Nolite me rogare, quid significet: solum pauca verba de hac sententia intellego.

E contrario, ecce pauca verba excerpta e periodico «Défense de la langue française» n. 167 (1993), cuius Hermannus Deceuninck photocopiam ad nos benigne misit; scripta sunt sermone, qui dicitur «interlingua», atque sunt intellectu multo faciliora: «In nostre epoca de unification europee per le comercio, es un reaction instinctive del Europeos ordinari se diriger al

idioma dominante in este sector: le anglese. Ma, esque un civilisation se reduce a un simple ensemble de fabricantes e de negociantes?» Haec sententia videtur dicta esse ab Hispano qui nimis longas ferias habuit in Francogallia et in Italia et omnes sermones commiscet; nihilominus est omnino intellegibilis.

Certe sermo simplicissimus, quo homines diversarum nationum inter se communicare possint ad commercium faciendum aut viam quaerendam, optari potest. Sed disputationes maioris momenti, quae pertinent ad cultum civilem, egent vera lingua, quae divitias historicas et culturales in se contineat.

In hac re nullus sermo superare potest linguam Latinam ipsam, quae pertinet ad nostram historiam atque per tot saecula valuit diversos populos coniungere. Nimisne difficilis? Iis quidem, qui iam nihil facere sciunt nisi ante televisorium sedere... »

Francisca DERAEDT



*Melissae moderatores, cum mense Maio per Iberiam peregrinarentur, stationem fecerunt ad Queluzianam domum regiam XVIII saec. non longe ab Olisippone exstructam. Ibi in basi statuae reginae Mariae pulchram Latinam inscriptionem invenerunt ubi legitur nomen Portugaliae. Qua inscriptione comprobatur ipsos regentes suum regnum vocavisse Portugaliam, non Lusitaniam. Immerito adhibetur nomen Lusitaniae, quia fines antiquae provinciae Romanæ huius nominis non congruunt cum finibus moderni regni Portugaliae. Ipsa urbs caput provinciae Lusitaniae, c.n. Emerita, non est in finibus regni Portugaliae sed regni Hispaniae.*

*De recta orthographia nominis Portugaliae dissentitur. Multis enim locis legitur Portugallia, sicut in Historia de rebus gestis Caroli Quinti XVI saec. conscripta ab Hispano historico Iohanne Ginès de Sepulveda.*